



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

XXX. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium,
quo cavetur, ne Sacerdotes Ordinis Hospitalarii Sancti Hippoliti Mexican.
Prælaturas Ordinis obtinere possint, aut Provinciæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

XXX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium, quo cavetur, ne Sacerdotes Ordinis Hospitalarii S. Hippoliti Mexican. Prælaturas Ordinis obtinere possint, aut Provinciæ Assistentes eligi.

Dat. die 19. Aprilis 1731. Pontif. An. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Suplicante Generali Ordinis Hospitalarii Sancti Hippoliti Mexici Sacræ Congregationi Episcoporum & Regularium pro facultate habendi in suis Hospitalibus duos Sacerdotes sui Ordinis, non obstantibus &c., & annuente ipsa Sacra Congregatione pro gratia, additis quibusdam conditionibus, & præcipue, quod Sacerdotes prædicti regulares eligi non possint ad Prælaturas Religionis: excepto tamen, quod possint esse Discreti Conventuum, Magistri Novitiorum, ac Provinciæ Assistentes; iterum Orator ipse dedit preces pro deletione prædictæ exceptionis ab enunciato Decreto.

Deer. Congregationis:

Ne Sacerdotes hujus Ordinis Prælaturas in eo possint obtinere, nonnullis ex episcopis officiis.

Nova Decreti confirmatio;

Addito quoddam Sacerdotes, nec Provinciæ Assistentes esse queant:

Quæ omnia per SS. confirmantur.

Harum Litterarum observantia.

Obstantium derogatio.

§. 1. Sacra idcirco eadem Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, re mature discussa, Referente Eminentiſſimo Cardinale Beluga Ponente, benigne rescripsit -- Promoti ad Sacros Ordines non possint habere aliquam Prælaturam in Religione, nisi cum Apostolica dispensatione juxta decretum Sacræ Congregationis sub die 30. Septembris, 1729., quod iterum confirmatur: sed tantum esse possint Discreti Conventuum, & Magistri Novitiorum; non vero Provinciæ Assistentes. Romæ die 15. Martii 1731. Card. Franciscus Barberinus Præfectus. A. Archiepiscopus Petren. Secretarius -- Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni Prioris Generalis ejusdem Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summo opere desideret: Nos ipsum Priorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis &c. excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congreg. Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suoque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confir-

matione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 19. Aprilis 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Constitutio, qua Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei, a Scholis piis nuncupat. facultas asseritur tradendi prima rudimenta literarum, disciplinasque liberales Latinas & Græcas, atque etiam majores Scientias, adolescentibus, etiam Nobilibus, novaque condendi Juvenum Collegia, Seminaria, & Convicia, ac Regulares Domos, prævio dumtaxat Ordinariorum consensu.

XXXI.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 1. Maji Anno 1731. Pontif. I.

NObis, quibus a Christo Domino totius Ecclesiæ cura commissa est, proba & recta institutio juvenilis in sanctæ Religionis præceptis, honestique artibus, teneros adolescentium animos imbuens, cordi esse debet; unde ad summi Dei gloriam plurima & maxima bona in Ecclesiâ, totamque Republicam Christianam, provenire noscuntur. Quare si pios & doctos Viros, in laudando hujusmodi officio laborantes, peculiari charitate complectimur, eos gratiis Apostolicis foveri & ornari satagentes, nos id agere putamus, quod muneri Nostro, Deoque Omnipotenti, cujus honorem præ oculis habemus, maxime convenit.

Proceum.

§. 1. Quum ergo Nobis innoverit, varias, interque se discrepantes opiniones, ac voces de proprio officio, præcipueque Instituto Congregationis dilectorum filiorum Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, qui a Scholis piis denominantur, in modo & ratione instituendi adolescentibus, illorum curæ commissos, eisdemque in Scholas recipiendi, percrebuisse: deque statutis a fe. re. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro eidem Congregationi Apostolica auctoritate confirmatis, ac de complurium aliorum Romanorum Pontificum tam sub Plumbo quam sub Annulo Piscatoris in forma Brevis prædictæ Congregatione editis Apostolicis literis, præcipue vero piæ memoriæ Pauli V. jam dicti Gregorii XV. Urbani VIII. Alexandri VII., ac utriusque Clementis IX. & X. non una sententia audiretur; Nos quascumque controversias & disensiones, ex hac discrepantia opinionum, dictorumque statutorum, ac litterarum vario sensu ortas, & fortasse orituras, pro Nostri Apostolatus munere de medio tollere volentes: & benevolentiam, qua eisdem Clericis Regulares ob assiduos labores & studia, quæ in proximi bonum & utilitatem impendunt, semper prosecuti fuimus, amplius demonstrare cupientes, nuper Motu proprio, ex certa Scientia, & deliberatione Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus fratribus Nostri, Prospero Marefufchio, eorumdem Clericorum Regularium Pro-

Causæ editæ hujusce Constitutionis.

A SS. D. N. deputata Congregatio.

tecore